

[s5ra] Sequitur alius sermo eiusdem [Petri de Aillyaco] de adventu factus Constantie in concilio generali, anno Domini MCCCC decimo septimo.

Erunt signa in sole, luna et stellis. Considerantibus nobis verba proposita triplex occurrit questio pro eorum introductione in huius sermonis prohemio breviter explicanda: prima, qualiter verba hec evangelica ad ea que nobis his sunt agenda pertineant; secunda, quid significant illa celi luminaria que nobis consideranda presentant; tertia, que sint ista signa celestia que nobis futura prenunciant. Hee siquidem questiones multorum forte hic astantium animos pulsant, qui secum taciti admirantes interrogant. Quam ob causam qua ve ratione aut congruentia verba hec proponere decrevi et huic applicare sermoni. Quid, inquiunt, ad rem pertinet? Quid ad propositum attinet concilii generalis? Erunt signa in sole, luna et stellis.

Prima igitur quesitio proponitur: Qualiter verba hec evangelica ad ea que nobis hic sunt agenda pertineant. Pro qua sciendum nobis est quod verba premissa ideo arbitratus sum huic sermoni aptissime convenire quia hii qui in hac synodali congregatione presentes assunt, debent esse velut clarissima celi luminaria soli, lune ac stellis merito comparanda, ut sequentia plenius declarabunt. Nec caret congrua ratione rationabilis congruentia quod hec verba que ad litteralem intellectum dicta sunt de signis adventus Domini ad generale iudicium finale, iuxta sensum spiritualem intelligi possunt de signis adventus eius ad generale concilium seu iudicium synodale, de quo adventu ipse in evangelio legitur promississe: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo ibi in medio illorum sum. O utinam bone Ihesu, utinam hic in medio nostrum ubi duo non solum vel tres, sed tanta fidelium multitudo universalem representans ecclesiam congregantur, et qui utique congregati sunt in nomine tuo, in nomine Ihesu, in nomine salvatoris quia titulo seu causa procurande salutis et salutaris utilitatis, non particularis quidem sed velis nec unius aut paucorum membrorum tuorum, sed totius tui mystici corporis, totius que tue Christianitatis. Utinam ergo, O salufer Christe, utinam nobis in tuo salutari nomine congregatis ita digneris presens assistere ut pulsis errorum tenebris et peccatorum nubilis effici mereamur clara luminaria celi spiritualis, id est tue ecclesie militantis, et in nobis reluceant leta signa salutaris consolationis, ut sic vere possit dici: [s5rb] Erunt signa sole, luna et stellis.

Secunda questio erat quid significant illa celi luminaria que premissa verba nobis consideranda presentant. Pro qua considerandum nobis est quod sicut in celo corporali sic in celo spirituali, hoc est in presenti ecclesia que Gregorio teste sepe in sacro eloquio regnum celorum dicitur ordinatis simus rerum omnium dispositor diversa luminaria disposuit, de quibus in principio libri Genesis scriptum est: Fecit Dominus duo magna luminaria. Luminare maius ut preesset diei, et luminare minus ut preesset nocti et stellas. Habet igitur ecclesia duo luminaria magna, solem et lunam; habet et stellas varias. In sole papalis maiestas que preest diei, id est spiritualibus, in luna imperialis potestas que preest nocti, id est temporalibus, in stellis vero diversorum statuum ecclesiasticorum varietas que suis subest maioribus congrue designantur, sicut plenius patebit ex hiis que inferius dicenda sunt. O quam decora est ecclesia Christiana horum luminarium mira varietate variaque claritate, dicente Apostolo. Alia est claritas solis, alia lune, alia stellarum, et stella a stella differt in claritate. Ecce ergo quam bonum et quam iocundum est horum luminarium variam clariatem videre, quid tum nobis nunc Domino donante concessum est, cum solem et lunam utramque, videlicet potestatem spiritualem et temporalem, sacerdotalem et regalem, simulque cum eis stellas varias id est varios ecclesie status ad illuminandum universalem faciem terre, videamus in hoc sacro concilio convenire ut merito de

eis dictum sit: Erunt signa in sole, luna et stellis.

Tertia questio fuit que sunt ista signa celestia que verba predicta nobis futura prenunciant. Pro qua pensandum nobis est quod in celo spiritualiter intellecto hoc est in hoc sacro generali concilio, quo universalis representatur ecclesia; in sole, luna et stellis apparere incipiunt signa multa, signa magna, signa nova, signa utique celestia sua multitudine stupenda, sua magnitudine miranda, sua novitate iocunda, que plurimis retroactis temporibus fuerunt abscondita, fueruntque tristia signa illis omnino contraria. Sed quod parabolice et obscure diximus, iam clare et lucide disseramus. Scimus nanque et satis supraque satis per experientiam docti sumus qualiter prohdolor in sole, luna et stellis precesserunt signa tristicie et meroris, signa discordie et furoris, signa miserie et doloris, signa videlicet scismatice divisionis et ecclesiastice deformationis propter **[s5va]** quod impletum est illud Iohelis vaticinium: Sol et luna obtenebrati sunt et stelle retraxerunt splendorem suum. Iam vero quod gaudentes referimus videre speramus signa iocunditatis et leticie, signa charitatis et concordie, signa prosperitatis et complacentie, signa videlicet pacifice unionis et reformationis ecclesiastice. Hec est ergo mirabilis mutatio dextere excelsi quamin sole, luna et stellis nunc inchoari videmus, dum hoc sacrum concilium ad hunc finem congregatum aspiciamus ut sancta mater ecclesia iam dudum per scismaticam divisionem miserabiliter deformata, nunc per pacificam unionem feliciter reformetur. Sane nec vera unio sine reformatione, nec vera reformatio sine unione esse poterit. O preclarum et prosperum diem, et quem merito sanctum dixerim sub quo hoc fieri contigerit. O beatos oculos qui hoc videre meruerint. O felicem locum, hanc videlicet Constantiensem civitatem, meque pariter cum ea iocunde exultationis participem, quam infra terminos commisse mihi legationis ad partes Alamanie Dominus ad hoc eligere dignatus est. Sed magis laudanda et veneranda et cum letabunda graciaram actione dignis preconiiis extollenda immensa Dei clementia, que tam ingens largitatis beneficium ecclesie sue contulit, ut terribilia signa horrendi scismatis tam mirabili mutatione converteret in tranquilla signa optate unionis et pacis de quibus dictum est: Erunt signa in sole, luna etc.

Hec igitur hactenus de tribus premissis questionibus generaliter dicta sint, sed iam restat ut specialiter consideremus dicta luminaria et in eis sigillatim notemus signa et signemus mysteria. Primo quidem in sole signa presidentie pastoralis, secundo in luna signa providentie temporalis, tertio in stellis signa assistentie specialis et obedientie filialis.

In primis ergo consideremus in sole, id est in papali sublimitate signa presidentie pastoralis, de qua singulatier Petro pro se et suis sucessoribus a Christo dictum est: Pasce oves meas. Non quidem specialiter has vel illas, sed generaliter universas. Hec autem papalis sublimitas et eius pastoralis presidentia ac eminentia singularis soli merito comparatur propter tres excellentias quas in eo specialiter cognoscimus. Habet enim sublimitatem positionis, habet nobilitatem conditionis, habet utilitatem operationis. Sic pontifex summus et paastor supremus instar solis. Habet positionis sublimitatem si bene intraverit, **[s5vb]** habet conditionis nobilitatem si bene vixerit, habet operationis utilitatem si bene rexerit. Sed econtra quod absit, pastor ab hiis conditionibus solis degenerat. Si male intraverit per iniustam et reprobam ambitionem, si male vixerit per inhonestam et scandalosam conversionem, si male rexerit per torpidam et ociosam remissionem, vel per tyrannicam et onerosam ac odiosam administrationem. Hec prohdolor essent signa tristia, et non illa iocunda signa que divina favente clementia nunc in sole nostro videre speramus, ut de eo cum Psalmista Domino dicere valeamus: Tu fabricus es auroram et solem. Fabricat enim Deus solem quando summus pontifex per canonicam institutionem dignus eligitur, et tunc ex Dei opere verus sol efficitur et recte super alios sublimatur. Sed non est ille sol verus sed falsum solis simulachrum qui manibus hominum, id

est humanis et dolosis adinventionibus, fabricatur, sicut in Psalmo scriptum est: Simulachra gentium argentum et aurum opera manuum hominum. Ideo de talibus idolis per Iheremiam dicitur: Conteret Dominus statuas domus solis. O utinam beata trinitas sua omnipotenti virtute conterat statuas domus solis, id est simulachra Romane ecclesie que est domus summi pontificis, utinam in quam illa simulachra conterat que in contumeliam individue trinitatis trinum sibi nomen papatus multiplicare conati sunt, cum tamen rem tres simul habere nequeant, sed unus solus veri solis et veri pape nomen et realem dignitatem obtinere debeat. Unde in plurium de hoc nomine contententium irrisionem alias me scripsisse recolo, quod sicut in divinis veneranda est et adoranda trinitas personarum sic in humanis verenda et abhominanda trinitas paparum. Cum enim sol dicatur, quasi per excellentiam solus lucens non potest esse sol trinus, sed necesse est ut solus sit et unicus. Unde licet narrent hystorie tres soles in celo aliquando visos fuisse sicut testatur Eusebius, tamen secundum philosophos numquam plures fuerunt realiter sed solum appaerent. Nam quedam nubes interposita apparere fecit plura solis simulachra eidem similia. Et illud fuit signum pronosticum inundationis future. Sic revera a empore presntis scismatis quedam fuit nubes ignorantie et malicie que in Romana curia plura solis, id est papalis dignitatis simulachra fecit lipis oculis apparere, quod monstruosum prodigium presagium fuit inundationis plurium scandalorum, de quibus magis flere libet quam **[s6ra]** aliquid dicere. Hoc autem sacrum concilium ad hunc finem specialiter institutum est, ut fugatis huius erroris tenebris conterantur huiusmodi simulachra, et iuxta verbum Christi: Fiat unum ovile et unus pastor, qui tanquam verus sol unus et solus clarescat et suo lumine universam illustrans ecclesiam scimatis scandala sicut fenum ante conspectum solis incalescentis arescere faciat, ut de eo dici possit illud propheticum: Ortus est sol in ardore et arefecit fenum. Et hec de sole et prima nostri sermonis consideratione sufficiant.

Iam ergo consideremus in luna, id est regali seu imperiali maiestate signa providentie temporalis, de qua scriptum est: Absque regali providentia impossibile est pacem rebus dari. Hec autem regia maiestas et eius temporalis providentia lune merito comparatur propter tres conditiones quas in ea sensibiliter experimur. Est enim luna secundum Isidorum imitatrix solis, dominatrix maris et ministra roris. In quibus designatur tres excellentie que debent regali providentie specialiter convenire. In imitatione solis, id est spiritualis claritatis, fulgor clare prudentie; in dominatione maris, id est temporailis mutabilitatis, vigor magne potentie; in ministracione roris, id est visceralis pietatis, dulcor vere clementie. Hec sunt signa que in luna nostra, id est in regali providentia, nunc Domino concedente videre speramus. Ut per eius prudentiam clarescat veritas n discernendis iudiciis, ut per eius potentiam ferveat severitas in corrigendis viciis, ut per eius clementiam dulcescat serenitas in sublevandis miseriis. Speramus igitur quod per regis nostri prudentiam clarescat veritas in iudiciis discernendis, iuxta illud quod in Proverbiis scribitur: Rex qui iudicat in veritate thronus eius in eternum firmabitur. Speramus insuper quod per eius potentiam ferveat severitas in viciis corrigendis, et sic de eo verificabitur illud quod ibidem legitur: Rex qui sedet in solio iudicii sui, id est sua regali potentia atque providentia, dissipat omne malum. Et notanter dictum est omne malum ut detur intelligi quod regia severitas non debet unum malum dissipare et aliud dissimulare, sed sine personarum acceptione omne malum punire. Et in hac punitone non bonum nature, sed malum culpe in hominibus persequi. Speramus denique quod per eius clementiam dulcescat serenitas in miseriis sublevandis, ut cum sancto Iob dicere valeat: Cum sederem quasi rex circumstante exercitu erantum **[s6rb]** merentium consolator. Ad regis enim nostri clementiam pertinet ut severitatem iusticie per serenitatem misericordie temperet et sicut illam contra superbos et rebelles maxime contra hereticos et infideles contra scismaticos et ecclesie adversantes, sic istam in humiles et

subiectos exerceat, ut ei illud preconium conveniat, quo din laudem optimi principis ab egregio poeta dictum est: Paqrcere subiectis et debellare superbos. Hiis itaque virtutum titulis insigniterdignus erit rex noster gladium accipere non sua quidem sed divina auctoritate nec pro quacunque causa sed pro tuitione iusticie, et ecclesie defensione ut mereatur illud audire quod Iude Machabeo strenuissimo divine legis zelatori dictum est: Accipe gladium sanctum munus a Deo quo deicies adversarios populi mei Israhel, id est populi Christiani. Gaudeat igitur ecclesia et nos cum ea pariter exultemus, quia serenissimus ac strenuissimus romanorum rex huic sacro generali concilio humiliter voluit interesse, non quidem ut presit, sed ut prosit, non in spiritualia et ecclesiastica negocia hic tractanda regia auctoritate diffiniat, sed ut ea que synodali determinatione diffinita fuerint sua potestate defendat. Non denique quasi sua intersit synodalia decreta statuere aut statuta confirmare, sed ea potius reverenter conservare et ad eorum observantiam superbam inobedientium contumaciam suo temporali gladio coercere, volens in hoc exemplum imitari religiosissimi principis Constantini de quo legitur in decreto et plenius habetur in Hystoria ecclesiastica libro 10 in tripartita libro 2. O igitur felicem, o nobis optabilem diem et toti mundo desiderabilem quo in hac sacra synodo videmus solem et lunam, id est spiritualem et temporalem potestatem sibi invicem assistere et sese forti ac stabili munire presidio, ut de eis cidi possit illud propheticum. Sol et luna steterunt in habitaculo suo. Et hec de luna et de secunda nostri sermonis consideratione sufficiant.

Sed iam ultimo consideremus in stellis, id est in multiplici ecclesiasticorum statuum varietate, signa specialis assistentie et obedientie filialis. De qua mystice et figurative potest accipi illud Baruch prophete verbum: Stelle dederunt lucem in custodiis suis, vocate sunt et dixerunt assumus ubi circa huius sacri consilii congregationem tria notare debemus. Primo in personis congregatis conditionis nobilitatem, quia stelle dederunt lucem; secundo in persona [s6va] congregante auctoritatem prelationis quia vocate sunt; tertio in ipsa congregatione subiectionis humilitatem, quia dixerunt assumus.

Consideremus itaque primo in personis congregatis conditionis nobilitatem quia stelle. Licet enim nulle persone catholice, etiam si sint scismatice ab hac congregatione sint excluse non tamen specialiter sunt vocate infime aut ignorantes persone, sed ille precipue que in triplicis conditionis nobilitate stellis celi sunt merito comparande, videlicet in sublimitate excellentis eminentie, in claritate refulgentis sapientie, in potestate precellentis influentie. Stelle igitur non qualescunque aut quantumcunque parve vel parum lumine, sed tlaes que per habundantem virtutis redundantiam dederunt lucem in custodiis suis, id est in variis ecclesie Christiane locis eis ad custodiam deputatis, et in administrationem commissis, de quibus dici potest illud Ecclesiastici: Species celi, id est decor ecclesie vel huius celestis concilii, gloria stellarum nundum illuminans.

Consideremus deinde in persona congregante prelationis auctoritatem quia vocate sunt. Non enim propria temeritate convenerunt, sed apostolic auctoritate vocate sunt ab illo videlicet qui prelationis ac potestatis plenitudinem habere dinoscitur, id est a summo pontifice qui solus potest generale concilium convocare sicut per communia iura positiva probatur. Quod utique regulariter verum est sed iure divino et naturali patenter ostenditur quod hec regula in certis casibus exceptionem habet et specialiter incasu Pisani consilii, sicut alias declaravi. Unde qui oppositum tenent Israheli sensui iuris positivi iudayco more nimis tenaciter adherent, contra quos ait Apostolus: Littera occidit, spiritus, id est spiritualis sensus vivificat.

Consideremus denique in hac sacra congregatione subiectionis humilitatem, quia stelle dixerunt assumus, id est ad specialem assistentiam et obedientiam filialem nos humiliter presentamus, ut summo pontifici merito possit hec congregatio, illud Prophete verbum dicere:

Ecce assum quia vocasti me. Et hic de stellis et tertia nostri sermonis consideratione sufficiant.

Sed vos, o stelle clarissime, non immerito querere potestis, quare vocate estis ad quid cum sole et luna convenistis, propter quid cum eis synodaliter hic congregari debuistis? Ad hanc questionem respondeo quod in hac sacra synodo sol, luna et stelle propter tria specialiter congregantur. Primo ad preterita corrigenda [**s6vb**], secundo ad presentia ordinanda, tertio ad futura providenda. Primo ad correctionem et reformationem ecclesiastice deformitatis, quo ad preterita. Secundo ad ordinationem et integrationem pacifice unionis, quo ad presentia. Tertio ad provisionem et evitacionem malefice previtatis, quo ad futura. Hiis enim tribus temporibus, secundum Senecam, tria prudentie officia correspondent que si nunc debite impleantur, utique iuxta verba proposita: Erunt signa in sole, luna et stellis, id est in omnibus statibus ecclesiasticis, tam in capite quam in membris. Signa, inquam, iocunditatis et exultationis que in hac synodali congregatione fieri prestolamur. Et hec sub triplici conclusione prosequemur.

Prima ergo conclusio est quod hec sancta synodus congregatur ad correctionem et reformationem ecclesiastice deformitatis, ut merito nobis dici possit illud Ezechielis: Pro eo quod versi estis in scoriam congregabo vos et conflabo, et succendam vos igne furioris mei, id est zelo fervoris divini. O utinam hoc igne, hoc zelo, hoc divino fervore ita nos conflare et succendere dignetur Spiritus Sanctus, quod sua gratia mediante ecclesiam que a puritate sui primitivi decoris versa est in scoriam multiplicis deformitatis purgare et reformare valeamus. Heu, heu quam necessaria sit et iam dudum fuerit ista ecclesie reformatio, magna eius deformatio insinuat, de qua Bernardus sermone 33 super Cantica lamentabiliter conquerendo dicebat: Serpit hodie putrida tabes per omne corpus ecclesie, et quo latius eo desperatius, eoque periculosius, quo interius. Et multis interpositis subdit: Olim de ecclesia predicat est et nunc tempus impletionis advenit, ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu hereticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest. Intentina ergo et vix sanabilis est plaga ecclesie, et ideo in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est et non est pax. Pax a paganis, pax ab hereticis, sed non profecto pax a filiis. Unde vox eius est plangentis in tempore isto. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Spreverunt et maculaverunt me a turpi vita, a turpi questu, a turpi commercio, a negotio denique per ambulante in tenebris. Heu, heu et iterum heu! Si hec dicebat ille tempore suo, quid iam dicere possumus tempore nostro, cum illi mali mores ex tunc supercreverint et processerint ad peiores? Hinc [**t1ra**] presentem ecclesie persecutionem, hinc horrendam monstruosi huius scismatis divisionem, hinc subtractionem obedientie ab ecclesia Romana, aliaque scandala plura secutura ex tunc quidem oculo spiritualis intelligentie previderunt, sicut patet ex scriptis venerabilis abbatis Ioachim et sancte Hyldegardis, quorum non est auctoritas contempnenda. Si ergo contra hec mala hec sacra synodus non providerit remedia, congrua audacter affirmo quod post tam horrendas choruscationes quas videmus horribiliora sequentur tonitrua. Utinam igitur, utinam horum malorum reformatio fiat. Utinam ad expurgandam ecclesie scoriam accendatur in nobis ignis boni furoris, id est zelus divini furoris, ut impleatur quod prememoratus Ezechiel propheta subiunxit: Et conflagimini sicut conflatur argentum in medio fornacis, id est sicut purgatur argentum in fornace, non solum exterius, sed interius, ita purgetur ecclesia non solum exterius in superficie, sed interius et in moni parte, ut non sit ficta vel simulatoria sed perfecta et vera purgatio. Hoc autem fieri non poterit nisi Christus afflatu suo nos inflammet in fornace charitatis, et ardere faciat igne suo, videlicet zelo ardentis fervoris, viciorum scoriam expurgantis, de quo ipse ait: Ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut ardeat. Et hec de prima conclusione.

Secunda conclusio est quod hec sancta synodus congregatur ad reordinationem et

reintegrationem pacifice unitatis, ut de nobis verificetur quo din evangelio legitur: Erant discipuli pariter congregati quando venit et stetit Jhesus in medio eorum, et quando ait eis: pax vobis. O utinam in medio huius synodalis congregationis ita venire et persevereanter stare dignetur salvator Ihesus, ut sua presentia nobis ecclesiasticam afferat pacem et pacificam unitatem. Utinam ad hanc reordinandam et reintegrandam sic nobis secum cooperari concedat ut nostri laboris fructum universitas Christiana sentiat. Hoc itaque labore nullus esse potest fructuosior, hoc fructu nullus sentiri potest suavior. Nec hiis pacis laudibus diutius oportet insistere cum talibus scripture plene sint nobis non ignota. Sed in tanti boni prosecutione nostram docet negligentiam arguere, nostram pigritiam excitare. Nimis enim hoc in negotio tempnimus, nimis hucusque quievimus, nimis obdormivimus esurgendum **[t1rb]** tandem est, et data nunc oportuitate et occasione celitus exhibita, ad hoc tam arduum et ecclesie Dei tam necessarium virtutis opus efficaciter assurgendum. Et quia ubi intenderis ingenium valet, ut ait Comicus: Ideo omnes hic ingenii vires impendamus totis conatibus incumbamus, rumpamus moras, tollamus dilationes et pacem hanc tam utilem modis omnibus et viis rationalibus fine debito terminemus. Ad hunc vero finem obtinendum hac conclusionem audacter affirmo quod in hoc consilio nulla via possibilis erit repellenda seu penitus reprobanda nisi que p[ro]babitur esse iuri naturali seu divino contraria, nam ad illud ius necessario recurrendum est, ubi iura non providerunt humana. Et hec de secunda conclusione sufficiant.

Tertia conclusio est quod hec sancta synodus congregatur ad provisionem et evitacionem future malefice pravitate ut convenienter hic aptari videantur verba que Moyses in Deutronomio loquitur: Congregate ad me omnes maiores matu per tribus vestras atque doctores et innocabo contra eos celum et terram, novi enim quod post mortem meam iniqua agetis et occurrent vobis mala in extremo tempore. Quo Moysi exemplo docemur quod ad hoc synodaliter congregamur, ut non solum preterita mala corrigere, aut presentia reordinare debeamus, sed etiam ut contra futura providere et ea quantum in nobis est in nostris posteris evitare curemus. O utinam maiores natu, utinam ecclesie pastores et doctores hic congregati et hoc exemplo ammoniti diligenter attendant hominum prinitatem ad malicie pravitate. Utinam vigilanter sic futura mala provideant, ut contra ea utiliter provideant. Utinam in presenti talem adhibeant provisionem que in futuro debitam habeat executionem quia parum est iura concedere nisi sint qui ea possint et velint conservare. Hic vero unum quod ad presens propositum maxime pertinet, singulariter ammono, hoc est ut in sacra synodo talis provisio fiat quod per eam hoc correndum scisma cito finem capiat ipsoque finito in posterum ex causis similibus, simile fieri non contingat. Unde cum nunquam simile fuisse legatur diligenter considerande sunt principales radices et radicales eius cause seu occasiones et contra eas ne in futurum similes orirentur per synodalia decreta essent convenientia remedia **[t1va]** providenda, exemplo sanctorum patrum quorum sequi debemus vestigia, qui in conciliis generalibus contra precedentia scismata futura remedia leguntur statuisse, de qua materia pleius alibi tetigi, sed hic transeo brevitatis gratia. Et hec de tertia conclusione sufficiant.

Sic ergo sub conclusione triplici breviter et summatim ea tetigimus propter que hic synodaliter congregamur, sed circa illa quantum auctoriatis habeat hec sacra synodus, non videtur utile omnino sub silentio preterire. Sciendum est igitur quod in celo cum sole et luna sunt et alie stelle, non solum ut eis assistant sed etiam ut cumeis influant. Non enim tantummodo soli et lune, sed ceteris stellis, immo generaliter omnibus lationibus superioribus subiectus est hic mundus inferior, sicut Aristoteles ait: Ut tota virtus eius gubernetur inde. Sic in celo spirituali, in hac videlicet generali synodo, que tanta stellarum varietate variaque venustate choruscat. Cum sole et luna congregate sunt stelle huiusmodi, non solum ut soli et lune, id est summo pontifici

assistendo eidem se obediens exhibeant, sed etiam ut cum eo sua virtute multiplici influendo circa ea que hic agenda sunt speciali auctoritate concurrant. Ad hec autem tripliciter concurrere dinoscuntur. Primo ad dubia consulendum, secundo ad consulta decernendum, tertio ad decreta exequendum. Hec autem non solum humano sed etiam divino iure probantur. Nam in antiquis conciliis et maxime approbatis huiuscemodi verba leguntur, placuit sancto concilio, vel concilium diffinivit, vel statuit sanctum concilium. Papa etiam quandoque dicit auctoritate concilii et consensu diffinitum est. Hec autem aliaque multa similia a divino iure ortum habent. Nam in primo concilio Iherosolimis celebrato de quo in Actibus apostolorum legitur Iacobus presente Petro protuli sententiam. Ubi non ait: Placuit Petro, sed: Placuit nobis collectis in vinum. Et sequitur: Visum est Spiritui Sancto et nobis. Ex quibus patet quod auctoritas decernendi et diffiniendi non est attribuenda soli pontifici, sed toti concilio generali. **[t1vb]** Unde manifeste reprobantur error quorundam perniciosissimus et toti ecclesie periculosissimus qui adulando potestati papali, ita detrahunt auctoritati sacri concilii ut dicere presumant quod papa non habet necessario sequi deliberationem concilii, immo standum est sententie pape, si ecclesie vel concilio generali contradicat, falsum colorem sui erroris assumentes ex capitulo significasti, de electione et quibusdam aliis iuribus positivis, utique male intellectis et peius contra ius naturale et divinum in ecclesie preiudicium introductis, sicut hec omnia plenius alibi declaravi. Sed de hiis prolixius discutere temporis angustia non permittit, nec hic intendendum disputationi, sed magis orationi instandum est. Oremus igitur et a Domino humiliter postulemus, ut in hac sacra synodo sol, luna et stelle conconditer influant, et nobis cunctisque fidelibus in eis signa leticie et iocunditatis appareant, nec solum signa, sed signorum salutare effectus, sueque multiplicis influentie virtutes iugiter impendant. Quod ipse prestare dignetur, qui supra solem, lunam et stellas in celis regnat benedictus per omnia secula seculorum. Amen.

Explicit sermo de adventu Christi factus a domino Petro de Aillyaco episcopo Cameracensi ac cardinali, in concilio generali Constantie congregato, anno Domini millesimo quodringentesimo decimo septimo.